



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Calvinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

9. Et qui dimissam duxerit, mœchatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

sed ad Seniores populi totam Ecclesie gubernationem transfert, ille certè evidentissimè Ecclesiam à Christo Capite diuulsi, planèque à *uicq̄* penitusque trūcum reliquit. Rursum si vnā venerab. Eucharistiæ speciem populo subtrahendo, separatur quod Deus coniunxit, quanto peccauit enormius & sceleratius Caluinus, qui ab vtraque specie sacrum Christi corpus sacrumque sanguinem ita penitus diuulsi ac separauit, vt à pane & vino in cœna quam celebrat, tam procul separaretur corpus & sanguis Christi, quàm cælum à terra seiungitur? Illis enim ipsissimis verbis homo impius profanam suam cœnam commendat; nec in sacramento, sed in cælo quærere nos iubet quod in hac sacra Cœna vel comedamus vel bibamus. Nec accipere corpus & bibere sanguinem Domini, sed audire historiam Euangelicam & credere docet. His diabolicis Caluini corruptelis meritò opponere licebit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Catholica verò Ecclesia vnā speciem populo porrigendo, & totum Christum illis porrigit, quem huic Sacramento Deus coniunxit; & nihil separat quod Christus coniunxit, quia in sacrificio quod Christus fecit, vtramque speciem tenet, sicut tenuit Christus. *Quam rem infra suo latius loco discutimus.*

*Ad Matt
capit. 26.
ver. 27.*

9. *Et qui dimissam duxerit, mœchatur.*

*Nuptia
post diuor-
tia super-
stite dimis-
sa.*

His Christi verbis pro secundis nuptiis post diuortium Adulteræ coniugis adhuc superstitis more omnium hæreticorum hodie abutitur Caluinus, omnesque hætenus Scripturarum interpretes qui aliter senserūt, tam verustissimos Patres quam tractatores modernos audacissimè erroris condemnat. Ait enim. *Hoc membrum pessimè expositum fuit à multis interpretibus. Generaliter enim & confuse putarunt calibatum præcipi quories diuortium factum fuerit. Ita si maritus adulterā reijceret, vtrique iniecta est calibatus necessitas. Quasi verò sit hæc repudij libertas tantum ab vxore secubare, quasi etiam Christus non clarè in hac causa fieri permittat quod promiscuè sibi Iudæi pro suo arbitrio usurpare soliti erant. Fuit ergo ille nimis crassus error.* Hæc ille. Duo adfert, quasi erroris, quem aliis impingit, causas duas. Prius est, quia parua aut nulla videtur repudij libertas ab vxore separari quoad thorum tantum. At Christus hoc loco non repudijs libertatem dare, sed ea restringere distat voluit. Quum enim Iudæis ex quacunque causa vxores dimittere dato repudij libello per-
mitte

*Christi in-
stitutum
Caluinus
inuertit.*

mitteretur, Christus hanc repudij libertatem ad solam fornicationis causam restringit. Et quia non repudij libertati hoc loco consulit Christus, sed vinculo potius coniugali, quod ex prima sua institutione & ex Dei præcepto (sicut Christus hic commemorat) indissolubile fuit, permittit quidem repudium fornicationis causa, sed ita ut firmum nihilominus valeat vinculum coniugale, ideoque qui etiam ob fornicationem dimissam duxerit, mœchatur docet: videlicet quia alterius adhuc vxor est, rametsi iustam ob causam repudiata. Non ergo pro libertate repudij contendere hoc loco debuit Calvinus, sed pro coniugij vinculo, si ex Christi instituto & mente Euangelium exponere voluisset. Alterum quod adfert est, quia Christus in causa fornicationis id fieri permittit, quod promiscuè Iudæi ex quacunque causa faciebant. Respondeo, quod ad repudium, verum id esse, sed non quoad secundas nuptias factò repudio. Christus enim (quod aduerrere Calvinus cæteri que hæretici debuerunt) legem illam Mosaicam de libello repudij, tanquam perfectionis Magister, in tribus corrigit. Primum quod non liceat nisi ob fornicationis causam dimittere vxorem, quum ibi liceret ex quacunque causa dimittere. Secundò quod etiam sic dimissa coniuge, non licet alteri nubere, quod Iudæis permissum erat. Ideo Christus præter vnus huius causæ exceptionem, addit, *Et aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Illa enim vnus causa exceptionem ad verbum dimittere, quod præcedit, referendam esse, etiam ipsi hæretici agnoscunt, qui dimissionem illam & repudium ex quacunque causa per hanc exceptionem restringi pariter nobiscum fatentur. Mœchatur igitur eum qui post repudium aliam ducit vxorem, vel qui ab alio repudiatam ducit generalis est Christi doctrina, quacunque tandem de causa fiat repudium, sicuti apud Marcum manifestè legitur: *Quicumque dimiserit vxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit super eam.* Item apud Lucam. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Ad quæ duorum Euangelistarum verba ait Augustinus. *Qui ergo nos sumus ut dicamus. Est qui mœchatur vxore sua dimissa alteram ducens, & est qui hoc faciens non mœchatur, cum* De adulter. coniug. lib. 1. ca. 9.

Lex de libello repudij in tribus correctâ.

1.
2.

Mar. 10.

Luc. 16.

De adulter. coniug. lib. 1. ca. 9.

de libello repudij. Matthæus autem solus hanc exceptionem de causa fornicationis ponit; quia apud illum solum quæstio illa proponitur, *de dando libello repudij ex quacunque causa*: ideoque ad libellum repudij referenda hæc exceptio est, non ad crimen adulterij in eo qui repudiata vxore aliam ducit: vel certè si eò referre omnino quis velit, quia ambiguus videtur sermo, tunc, vt docet August. lib. citato cap. 11. *Matthæus ex parte totum intellexisse putandus est*, & illud adulterium ex vna partiali causa docuisse, quod cæteri duo Euangelistæ ex tota causa docuerunt: id est, ex nouo matrimonio post quod-
 3. cunque repudium inito. Tertium in quo veterem legem de libello repudij corrigat Christus, illud est, quod per æquè liceat vxori casta vitam fornicantem dimittere, quam viro casto vxorem fornicantem: quorum nisi posterius in veteri lege licebat. Hoc tertium apertè docet Paulus 1. Cor. 7.

Alias adhuc Calvinus rationes adfert, quas expèdere oportet. Nam quum adulterij damnat Christus qui repudiatâ vxorem duxerit, restringi ad illicita & friuola diuortia certum est. Ideo Paulus manere innuptas iuber quæ sic dimissa fuerint, aut viris suis reconciliari, quia scilicet rixis & discordijs non aboletur coniugium: idque ex Marco elicitur vbi nominatim exprimitur vxor quæ à marito discesserit: non quod liberum fuerit vxoribus dare maritis repudij libellum, nisi quatenus in exteros mores prolapsi erant Iudæi: sed notare voluit Marcus corruptelam quæ tunc passim trita erat, reprehendi à Domino, quod post voluntaria diuortia utrinque ad nouum coniugium transibant. Ideo adulterij nulla fit apud Paulum mentio. Hæc Calvinus. Adulterij crimen in eo qui repudiatam ab alio ducit, ad friuola diuortia à Christo restringi affirmat. Cui assertioni Marci & Lucæ verba citata manifestè contradicunt, qui aiunt in omnibus quibuscunque diuortijs *mœchareum qui ab alio dimissam duxerit*. Deinde si ad friuola diuortia illa Christi verba restringuntur, erit iste sensus planè absurdissimus. Qui præter fornicationis causam (quæ iusta est) dimissam à viro vxorem duxerit, mœchatur. Puta si ex rixa aut alia quacunque causa vxor dimissa fuerit. Sed si ex fornicationis causa dimissam duxerit, non mœchatur. Iuxta hunc ergo sensum meliori loco erit vxor adultera ex causa fornicationis à viro dimissa, quam vxor proba & casta absque fornicationis causa à viro dimissa. Hanc enim ducere nemini licebit, illam licebit: & hæc aut manere innupta cogitur, aut viro reconciliari: altera nouas nuptias adire poterit, nec de

recon

Quicumque dimiserit. Omnis qui dimittit.

reconciliatione cogitare opus habet. Quæ omnia absurdissima sunt. Confirmat tamen sententiam suam ex Paulo quem de friuolis istis diuortijs dixisse vult, *dimissam à viro aut manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Sed Pauli verbis ruperit aburitur. Clarum enim est, Paulum non de friuolis, sed de iustis diuortijs hoc dixisse. Ait enim. *is qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam*. Atqui Dominus in Euangelio quando præcipit uxorem à viro non discedere, præcipit sine iusta causa non discedere, scilicet sine causa fornicationis. Ergo quod subiungitur; *quòd si discesserit, manere innuptam*, intelligendum est, si discesserit etiam ex iusta diuortij causa. Nam vt Christus non permittit vxori omne à viro diuortium, sed tantum ex iusta fornicationis causa, sic discedentem iubet manere innuptam Paulus, non ex qualibet rixa aut friuola causa discedentem, sed ex ipsa iusta fornicationis causa discedentem. Deinde vxori à viro discedenti ex iniusta aut friuola aliqua causa, non dedit Paulus optionem, vt aut maneret innupta, aut viro suo reconciliaretur, sed simpliciter iuberet eam viro suo reconciliari. Hoc enim illi necessariò faciendum fuit, quum sua sola culpa & temeritate maritum reliquerit. Sed quia de vxore à viro discedente etiam ex iusta causa Paulus discesserit, propterea ponit illi optionem, vt aut viro suo reconciliaretur, & peccato viri sui indulgeat, aut, si hoc nolit, sciat se innuptam manere oportere: idque propter vinculum conjugale adhuc manens. Sapienter igitur S. August. hæc Pauli verba sic intellexit vt diceret: *Non præcepisset Apostolis, si à viro discesserit, innuptam manere mulierem, nisi eam cui discedere licuisset, illa una videlicet causa que ibi propterea tacita est quia notissima est. hoc est, fornicationis*. Hæc ille.

1. Cor. 7.

De adulter. coniug. lib. 1. ca. 5.

Erroris circa nouas nuptias post diuortia causa. Matth. 5.

Sed huic Caluini & aliorum hæreticorum cauillationi occasionem dederunt alia Christi verba: *Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœcham*. Existimant enim docere quidem eo loco Christum, eos qui dimissa vxore præter causam fornicationis aliam ducunt, mœcham, sed qui propter fornicationem dimissa vxore aliam ducunt, non mœcham. Quum enim dicat Christus omnem qui dimiserit uxorem præter fornicationis causam, facere vt dimissa mœchetur, supra si alteri nubat: prorsus innuere videtur, omnem qui dimiserit uxorem propter fornicationem, non facere vt dimissa mœchetur si alteri nubat: & conse-

quenter nec virum mœchari si ex tali causa dimissa vxore alteram ducat. Alioqui hanc vnā causam non interposuisset, sed generaliter dixisset, quod quicumque ex quacunque causa dimittit vxorem, facit eam mœchari si alteri eo viuente nubat. Hæc ille. Sed respondet S. Augustinus duo: Primum, *Christum hoc quod maius est commemorare voluisse*. Maius quippe & absurdius peccatum est, repudiatam vxorem ducere, quæ præter fornicationis causam dimissa est, quàm eam quæ propter fornicationem dimissa est, quum hæc iusta & vnica nunc causa repudij sit. Sed non quia illud maius peccatum, propterea hoc nullum, aut paruum peccatum est. Sic alia Scriptura dicit. *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi*. Nec tamen excusantur omnes qui ignorantes peccant, quum ignorantia iuris neminem excuset. Secundo respondet, *Matthæum sic Christi verba retulisse, vt à parte totum significare voluerit*: videlicet non quosdam qui vxores dimittunt, & alias ducunt, mœchari, quosdam non, sed planè omnes tales mœchari, vt particula illa, *præter fornicationis causam*, ad dimittendi vxores prohibitionem referatur (qui erat Christi scopus hoc loco) non autem ad rationem mœchiæ, quæ inde consequitur ex secundis nuptiis. Quare Christi verba plenius apud Marcum & Lucam leguntur, vbi generaliter Christus dicit. *Quicumque dimiserit vxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur*. Ibi quippe Christus non explicat aut corrigit legem veterem de libello repudij, sicuti hic in hoc sermone facit, sed tractat in genere causam vinculi matrimonialis. Lege Augustinū de adulterinis coniugijs lib. 1. cap. 9. 10. 11. & 12. Sed Pauli mentem ex Marco elicere vult Calvinus, quia ibi nominatim exprimitur vxor quæ à marito discesserit. Ait enim Marcus. *Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur*. In his verbis existimat Calvinus reprehendi à Domino quod post voluntaria diuortia, vtrinque ad nouum coniugium transibant Iudæi, in exteros iam mores prolapsi. Cui respondendum, apud Marcum quidem & Lucam secundas nuptias post quæcunque diuortia seu voluntaria & friuola, seu iusta & legitima, vt fornicationis causa, à Christo prohiberi, vt supra ex Augustino accepimus, idque tam ex parte viri respectu vxoris, quàm ex parte vxoris respectu viri: nec vllō modo veriamile esse quod apud Iudæos Christi tempore vxores viros dimiserunt, quum hoc lex non permitteret.

Sed

*Jacob. 4.**Matth. 10.
& Luc. 16.*

Sed quum Paulus de illo vxoris à viro diuortio disputat, quod Christus prohibuit, debet necessariò illud intelligi secundum totam prohibitionem à Christo factam. Prohibet autem Christus vxorem à viro discedente alteri nubere, sicut prohibet virum qui vxorem dimiserit alteram ducere. Pares enim illos hac in causa esse, verba Marci ostendunt, & Paulus postea manifestius docuit, dicens: *Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Atqui virum qui vxorem dimiserit etiam fornicationis causa, aliam sine mœchia ducere non posse, apud Matthæum Christus docet. Omnes igitur post diuortia secundas nuptias Christus damnat, seu voluntaria sint illa diuortia seu iusta. Alioqui enim hic esset sensus planè absurdissimus, vt iam in præcedentibus explicatum est.

1. Cor. 7.

II. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.*

Celibatus votum ac firmum propositum his verbis à Christo damnari hæretici hodie volunt. Sic in hunc locum Beza, *Docet Christus continentia donum rarum esse Spiritus sancti donum: ex quo consequitur non temerè modo, sed etià contra Dei voluntatem facere qui perpetuum celibatum vouent.* Hæc ille in Annotationibus in hunc locum. Caluinus quoque ad hæc verba. *Non esse omnibus liberū eligere virum libuerit, continentiam an coniugium inde probat Christus, quia speciale sit continentia donum.* Hæc ille. Stupidi hæretici ex Dei dono libertatem eligendi quod melius est, tolli existimant, quum Dei donum hanc libertatem imprimis augeat; quia liberum arbitrium non tollit gratia sed adiuvat, nō impellit sed roborat, non destruit sed firmat, vt plurimis in locis docet ipse Augustinus gratiæ Dei prædicator maximus. Sed hoc in loco sola consequentiæ hæreticæ absurditas demonstranda est. Si quia continentia Dei donum est, temerè & contra Dei voluntatem facit qui perpetuum celibatum vouet, temerè quoque & contra Dei voluntatem facit omnis vir vni vxori coniugatus, omnis anima vni Deo & vni fidei sese obstringens, omne denique obseruationis mandatorum Dei aut renunciandi diabolo firmum propositum, quale in baptismo omnes stipulati & polliciti sumus. Nam cum vna vxore castè viuere, & vnum Deum perpetuò colere, vnam fidem firmiter tota vita tenere, diabolo & pompis eius in perpetuum renun-

Caluini & Beza stultitia.

Calibatus votum defenditur.